

NOBILISSIMO ET MVLTIS NOMINIBVS  
ILLVSTRI VIRO  
D. HENRICO RANZOVIO  
DANIAE PRODVCI.

**V**A N Q V A M nobilissime Ranzoui nulla mihi tecum intercedat amicitia, vt ea fretus te in tanto rerum fastigio sedentem, familiariter meis literis interpellare debeam: tamen facit hoc humanitas tua singularis à multis doctis celebrata, vt te non aegrè laturum, si vt hæres paternorum bonorum, ita etiam paternæ amicitia quasi successor familiaris quædam agere tecum conarer. Itaque cum Gerardi Mercatoris Patris mei charissimi, iam in Christo defuncti, Labores Geographicos excuterem, eosq; prolo committere, vt eorum aliquem fructum caperemus, de creuissem, incidi in literas à te ad Patrem humanissimè scriptas, simulq; inueni quosdã de Regni Danici & vicinarum regionum Politico statu tractatus, à te ad Patrem transmissos. Eos perlegi, & ad vsu meum recisos & aliquantulum interpolatos, vt cum Patris instituto conuenirent, orbis arctoi tabulis, quas nunc cum reliquis Septentrionalibus tabulis in lucem emitto, adiunxi. atq; in hoc paternæ amicitia hereditatem cernere volui. Cum autem historia omnibus hominibus sit utilis, & præcipuè viris in republica versantibus necessaria: ea autem sine locorum & temporum certa demonstratione, planè sit cæca & in tenebris dimicet: rectè faciunt qui Chronologiam & Geographiam velut duas faces, ad Historiarum lectionem diligenter adiungunt. Vtrumque Pater meus editis diuersis operibus sedulo, dum vixit, sectatus est: an verò vtrumq; sit assecutus posteritas ab inuidia, ira & odio libera, facile iudicabit: certe vtrumq; assequi pro virili conatus est. Igitur cum Chronologiam certis demonstrationibus temporum confirmatam tradidisset, eamq; ad incudem reuocasset: Cumq; Ptolomei tabulas suo pristino nitore emendatas restituisset, statim se ad nouam Geographiam exornandam & diuulgandam contulit, & vt reipublicæ literariæ in hoc consuleret, primum Gallia, Germania, Italia, cæterasq; tabulas edidit, quæ propter quotidianas rerum conuersiones quam maxime hoc tempore desiderarentur, ea ratione etiam sumptibus leuandis viam conseruens. Quia autem semper erga eos à quibus esset adiutus, Pater fuit gratissimus, nec quenquam sua laude priuari voluit: æquum est vt & ego eius vestigia consequar, vtq; eas tabulas tabularumq; inscriptiones, quas à te accepit, tibi vicissim in monumentum grati animi inscribam. Accipe igitur Nobilissime Ranzoui, Patris mei in postrema senectute confectos labores, tuamq; Daniam, Noruegiam, Sueciam & cæteras orbis arctoi vicinas regiones, in ijs contemplare, subeatq; animum veteris amici recordatio, qui quod ipse debuit & voluit, nunc per filium suum hæredem tibi offert & dedicat. Quod vt beneuolo animo à me factum, ita vt eodem à te animo accipiatur, te benignè rogo, vale. *Duisburgi Cluorum, Anno 1595.*

Tuæ Nobilit.

Studiosiss.

Rumoldus Mercator.

XVIII. 2.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
CHICAGO, ILL.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.